Inter hos aptè generoſa proles
Fortium SELMNITZ numerata qvondam eſt,
Sermo qvam doctus Cathedrâ probavit,
Artis & Uſûs.
Sed nec hoc tantùm. Didicit palæſtrâ
Chriſtianorum intemeratæ apertè
Torneamentum fidei tenere
Pectore & ore.
Hinc Palæſtritam meditans Jacobum,
Antagoniſtæ tenuit brabæjum,
Hâc ut ex luctâ benedictus emi-
grârit ad aſtra.

*Ita condoluit*
Georg Melchior Thilo, D.

---

*QVòd diro rapiat qvælibet impetu,*
*Tritum eſt, qvippe ſatis conveniens habet*
*Rebus, mors fera, nomen.*
*Sed qvid qvæſo, Piis nocet?*
*Nam qvis non ſcelerum fœta lue videt*
*Damnandâ penitus Tempora? Fit ſeqvens*
*Qvævis hora priore*
*Pejor. Mille vias malas*
*Fraudandi ut taceam. Noluit objici*
*Tantis JOV Amalis, qvem lacrymas modò,*
*HEROS Strenue*, Gnatum.
*Sed ceu depoſitum petit*
*Munus. Nam veluti, forſit ut imminet*
*Tempeſtas, Olitor per loca, qvas amat*
*Plantas, tuta repente*,
*Ipſis ne noceat, locat.*
*Sic* Gnatumqve *DEus, cui pia ſunt Pii*
*Cura ad ſe revocat: Fletibus ergò ſit*
*Tandem finis. Ovando*
*Jam cœli fruitur Bonis.*

Condolentiæ juxta ac obſervantiæ erga Illuſtres; ſed & Mœſtiſſ. beatè Defuncti Parentes teſtandæ ſcribeb.

D. Godofr. Strauß/ P.P. Extraord.
Cur. Elect. & Conſiſt. Eccleſ. Advoc. Ordinar.